



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

Confessariorum Catalogus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**



Concilij nostri Prouincialis decretum, incurrisse se nouerit. & si sacrum Missæ officium postea celebret, irregularis erit.

Caueat autem sibi quisque hac in re, ne prætextu minoris ætatis, se abduci à recto patiat, quasi pueri sint, qui nondum ad usum rationis peruenerint, quorum audit confessiones: solet enim usu venire, ut in pueris etiam, quamuis in ætate sint adhuc tenera, peccata mortalia inueniantur. Ac uero nemo per speciem necessitatis alicuius se falli sinat, ac necessitatem interpretetur pro quauis ægritudine, etiam si grauis, & periculosa illa sit, cum ad proprium pastorem, aut alium confessarium à nobis approbatum recurri potuisset. Immò nullos huic se negotio pergat interponere, quàmuis à pastore eius, qui confiteri cupit, vel Vicarijs nostris consensum obtinuerit, nisi tales ij sunt, qui specialem à nobis acceperint potestatem, ut eam alteri concedere deinde possint.

Sacerdotes autem, qui confessiones audiendi licentiam à nobis obtinuerint, cum definita temporis, loci, certarumque personarum limitatione, videant, ne potestatis concessæ limites ullo modo excedant.

#### *Confessariorum Catalogus.*

Prima cum opportunitate regularium Superiores catalogum confessoriorum, quos ad hoc officium elegerint, quiue in hac ciuitate, vel diocesi nostra habitant, nobis exhibeant, quo eorum nomina, cognomina, & natale solum habeantur.

Sed



Sed quia sæpius contingit, ut per suorum obedientiam mutentur, ideo bis in anno prædictum catalogum nobis offerent; primum quidem ad primam septimanam Adventus, secundum deinde primis feriis Quadragesimæ: Confessarij autem qui in nostra diœcesi versantur, Pastoribus, aut Vicarijs foraneis, testimonium admissionis suæ, quæ ad huiusmodi munus idonei esse iudicati sunt, quotiescunque ab eis exigerur; ne recusent ostendere, in templis verò, in quibus plures sint confessarij, in foribus sacrarij tabula suspensa habeatur, quæ omnes eius templi confessarios à nobis approbatos contineat, quæ toties mutanda erit, quoties alij deligentur.

Confessarij, qui à censuris & casibus reservatis absolvendi potestatem a nobis habent, summa cum prudentia eam exerceant, ut sit ædificationi potius, quam destructioni locus; quam ob rem si in utilitatem & auxilium pœnitentis, qui in aliquod eiusmodi peccatum incidit, iudicent expedire ad nos eum remittere, admoneatur, ut id facere debeat.

*Confessarij quamvis approbati, Casibus conscientia studeant.*

Omnes Confessarios, quamvis à nobis ut idonei semel admissi fuerint, tamen ob graues & diversos scrupulos, qui pœnitentibus in dies occurrunt, & plurimas difficultates sibi cohærentes habent præmonitos, volumus, ut bonos, & classicos auctores nonnullos, qui Casus conscientia ex Professo tractant, manibus continuè terant, quod si non videantur sibi satis iudicij, & doctrinae comparasse, ut possint quaestiones ob-